

EPISTULA LEONINA

XXXV

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM TRICESIMAM QUINTAM !

ARGUMENTUM

SENTENTIOLA ERASMI – MYTHI GRAECORUM (XXI): **Iason et Aeëtes** - FABELLA VILELMI HAUFF: **Kalif Storch** (in Latinum convertit Wilhelm Hundsrucker) – VOCABULA DOMESTICA (IV).

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam tricesimam quintam.

Huic Epistulae inest prima pars symbolae Vilelmi Hundsrucker emeriti directoris studiorum superioris gymnasii Saldenburgensis. Verê laudandus est îdem lector Epistularum Leoninarum studiosissimus, quod nobis perhumaniter misit illustrem fabellam Vilelmi Hauff quae inscribitur «Kalif Storch» a se ipso in Latinum conversam multisque picturis ornatam. En quantum laborem exanclavit Vilelmus uterque. Summas gratias agimus.


Tu autem, cara Lectrix, care Lector, hac Epistulâ Leoninâ helluare et pancraticê vale et perge nobis favere!

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

d.Lunae Pentecostali, 24.º m.Maii, a.2010



DULCE BELLUM INEXPERTIS

ERASMUS

(1465 <1469?> – 1536)

MYTHI GRAECORUM (XX): Argonautarum pericula alia.

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati, a Nicolao Groß Latinê redditi.

Medêa et Aeêtes

Denique exiit Aeêtes quoque cum uxore suâ Îdýiâ, nam filiae iubilo atque fletu erant elicit. Statim totum propatulum multitudine completum est; hîc servi novis convivis taurum mactabant conspicuum; ibi alii diffindebant ligna arida in foco comburenda; alii ad ignem aquam pelvi inditam calefaciebant; nemo aderat rêgi serviens, quin quid inveniret faciendum. Sed in excelsis volitabat Amor iis omnibus invisibilis, sagittam dolorosam e pharetrâ extraxit, cum eâdem invisibilis ad terram delapsus post lasonem subsedit et ex arcu tenso telum iaculatus est in Medêam rêgis filiam, sub cuius pectore sagitta, quam volentem nemo neque ea ipsa animadverterat, tamquam flamma ardebat. Quasi graviter aegrotaret, iterum iterumque vehementer anhelabat; interdum oculos clam coniciebat in lasonem herôem magnificum; cetera omnia e memoriâ Medeae evaserant; anima eius affecta est unâ tantum suavi aegritudine; puella modo pallescebat, modo erubescibat.

Laeto tumultu nemo animadvertit, quantum virgo mutata esset. Servi cibos praeparatos afferebant; Argonautae autem calidâ balneatione a sudore remigandi purgati laetê ad mensam sedentes fruebantur esculentis atque potulentis. Inter cenam Aeêtes e nepotibus, qui ei narrabant de fortunâ, quam iter facientes passi erant, submissê quaesivit de peregrinis. »Te non celabo, ave«, Argos illi insusurravit, »quod illi viri venêrunt rogatum, ut sibi traderes Phrixi patris nostri vellus aureum. Rex, qui illos e patriâ et possessione expellere cupit, hoc mandatum dedit periculosum. Qui sperat illos evitare non posse iram Iovis et ultionem Phrixi, antequam cum vellere in patriam redeant. Minerva illos adiuvit navem construens, non talem, quali nos Colchi utimur, qualiumque accepimus pessimam; nam primo vento flante naufragium fecimus. His autem peregrinis est navis tam firmê fabricata, ut ab omnibus procellis frustra incursetur; illi ipsi continuo sedent ad gubernaculum. Herôes Graeciae fortissimi in hac nave congregati sunt.« Nunc autem nomina attulit virorum maximê nobilium, necnon gentem annuntiavit lasonis sui consobrini.

His auditis rex ex animo territus nepotibus suis iratus est; nam putavit peregrinos in aulam suam venisse ab illis inductos. Aeêtes, cum ardebant eius oculi superciliis hirsutis subsiti, magnâ voce: »Abite« inquit, »e conspectu mei, insidiatores nefarii! Non huc venistis, ut vellus acciperetis, sed ut mihi eriperetis sceptrum et coronam! Nisi ad mensam meam sederêtis hospites, iam pridem curassem vobis linguas eripiendas

et manûs abscindendas pedesque tantum donassem, ut abiretis!« His auditis Telamon, Aiaci filius, qui proximê sedebat, irâ incensus erat surrecturus rêgique respondêre verbis similibus. At Iason eum retinens ipse respondit verbis mitibus: »Collige te, Aeêta, in urbem palatiumque tuum non vênimus, ut te expilaremus. Quis est, qui naviget per mare tam latum et periculosum, ut auferat bonum alienum? Nullâ re nisi mali rêgis mandatu crudeli commotus decrevi, ut iter facerem. Beneficium da nobis rogantibus vellus aureum, ut nomen tuum illustretur totâ in Graeciâ. Necnon parati sumus celeriter tibi gratias referre; si quod bellum in propinquo est gerendum, si quem populum propinquum subicere volueris, accipe nos socios, ut expeditionem tecum faciamus.« Sic Iason dixit animum rêgis placaturus; at is dubitabat, utrum illos statim curaret occidendos an antea vires illorum examinaret. Aeêtae, cum paulisper deliberavisset, melius esse visum est illud postremum; itaque quietius quam antea respondit: »Quid faciamus verba timida, peregrine? Vos si reverâ estis filii deorum aut alioquin me non peiores et cupitis bona aliena, vobiscum auferatis vellus aureum; nam viris fortibus congaudeo omnia habentibus. At antea oportet examen subeatis opus facientes, quod ego ipse facere soleo, quamvis sit periculosissimum.



In campo Martis mihi pascuntur duo tauri flammâs spuentes, qui sunt pedibus aeneis. Quibus pérãro campum asperum, et toto perarato sulcis non insero Cereris grana flava, sed dentes draconis atroces; ex iisdem excrescunt viri, qui me circumdant undique et quos lanceâ occîdo. Primâ luce tauros aratro adiungo, sêro vespere a messe requiesco. At tu si idem opus perfeceris, o dux, licebit eodem die tecum auferas ad rêgis tui domum; at non antea, nam non aequum est virum fortem cedere peiori.« Iason haec audiens sedebat tacitus et incertus; non ausus est fortiter promittere se opus facturum esse tam horribile. At animo collecto respondit: »Quantumcumque hoc opus est, tamen perficere studebo, o rex, etsi peream. Mortalem enim peiora non manent morte; oboedio necessitati, quae me huc misit.« »Bene«, rex inquit, »nunc i ad tuos, sed delibera; nisi omnia perficere volueris, rem ad me remittas et terram meam evîtes.«


**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS

NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>



PARS PRIMA

Hanc fabulam in Latinum convertit

Wilhelm Hundsrucker

Tempore quodam postmeridiano sereno chalifa Bagdетиensis nomine Chasidius animo relaxato in stibadio suo sedebat; paulum dormiverat, nam dies erat calidissimus, et nunc post somniculum vultu erat satis hilari. E longo fumisugio ligno rosarum fabricato fumum tabaci hauriebat; interdum paulum bibebat cafeae a servo quodam porrectae et laeto animo barbam manu mulcebat, cum potus ei bene sapuerat. Ne multis, toto ex ore chalifae eminebat eum satis bene se habere. His horis bona occasio erat cum eo colloquendi, quia tum semper erat mitior affabiliorque.



Itaque hōc tempore per omnes dies vasirus maior Mansor ad eum veniebat. Etiam hōc tempore postmeridiano vasirus vēnit, sed contra consuetudinem vultu erat admodum cogitabundo. Chalifa fistulā paulum ex ore detractā: “Cur”, inquit, “vultu es tam cogitabundo, vasire?” Bracchiis circum pectus decussatis caput suum coram domino demisit et respondit: “Domine, nescio, num vultu sim cogitabundo, sed subter in loco ad castellum sito mercator est, qui tam pulchras res habet, ut me pigeat pecuniā parum abundare”. Chalifa, cui iam dudum cordi erat vasirum laetitiā afficere, servum nigrum demisit, qui mercatorem arcesseret. Brevi servus cum mercatore rediit. Is erat vir parvus crassusque, facie fuscā, vestitu pannoso. Cistam ferebat plenam mercium variarum, - margaritarum, anulorum, pistoliorum multipliciter ornatorum, poculorum, pectinum. Omnibus rebus perlustratis chalifa sibi Mansorique pistolia pulchra ēmit, uxori vasiri pectinem. Cum mercator cistam suam iam operire vellet, chalifa parvum forulum reciprocum videns rogavit, num in eo etiam inessent res venales. Mercator cistulā extractā capsam metallicam pulvere nigro impletam monstravit



et chartam signis mirabilibus inscriptam, quae neque chalifa neque vasirus legere sciret. “Olim”, inquit mercator, “has duas res accēpi a mercatore, qui eas Meccae in viā iacentes invēnit. Nescio, quid iis insit. Vendam eas vobis parvi pretii, quia mihi ipsi sunt inutiles.” Chalifa autem, cui, quamquam legendi inscio, magnae curae erat in bibliothecā scripturas antiquas habere, chartam capsamque ēmit et mercatorem dimisit. Curiosus, quid scriptura contineret, ex vasiro quaesivit, num quem cognosceret, qui hanc scripturam legere sciret. “Domine princepsque”, hic respondit, “prope magnam domum prophetae sacram vir quidam habitat,

qui ‘Selimus doctus’ nominatus omnes linguas sciat. Arcesse eum! Fortasse ei haec arcana signa nôta sunt.” Selimus doctus brevi arcessitus est. “Tu, Selime”, inquit chalifa, “doctus esse diceris; aspice paulum has litteras et conare eas legere! Si eas lêgeris, donabo tibi novam vestem sollemnem; nisi sciveris, puniam te duodecim alapis et viginti quinque plâgis, quae plantis erunt infligendae, quia indignus eris, qui ‘doctus’ nomineris.” Selimus capite inclinato: “Fiat”, inquit, “voluntas tua, domine!” Diu cum scripturam aspexisset, exclamavit: “Peream, nisi hae litterae sint Latinae, domine!” “Dic, quid scriptum sit, si est Latinum!” Statim Selimus coepit litteras transferre: “Homo, qui hoc invenias, Allaham praedica pro benignitate! Qui pulverem ex hac capsâ naso hauriens dixerit: ‘Mutabor’, mutabitur ilico in quodlibet animal et etiam sermonem bestiarum cognoscet. Si remutari in hominem volueris, ter te in solem orientem vertens illud verbum dic! Sed mutatus cave, ne rideas! Si enim riseris, illud verbum magicum tibi penitus e memoriâ exstinguetur et tu bestia manebis!” Hôc audito chalifa maximo gaudio impletus est. Doctum virum iurare iussit eum neminem de hôc arcano certiozem facturum esse, eumque pulchrâ veste sollemni donatum dimisit. Vasiro autem dixit: “Bene êmimus, Mansor! Magno gaudio exspecto me bestiam factum iri. Postero die mâne ad me vëni! Deinde communiter in campum ibimus, paulum pulveris hauriemus et tum auribus accipiemus, quae dicantur in aëre et in aquâ, in silvâ et in agro”.

Postero die chalifa vix prandium sumpserat et vestitus erat, cum iam vasirus accessit, ut iussus eum ambulantes comitaretur. Chalifa capsâ pulveris magici plenâ in cingulo depositâ comitatuque remanere iusso unâ cum vasiro profectus est. Hortos amplos transeuntes oculis aliquam bestiam investigabant, ut artem suam experirentur, sed frustrâ. Itaque vasirus postremo suasit, ut ultro usque ad stagnum irent, ubi iam saepe multa animalia, imprimis ciconias, vidisset, quarum gravitas atque glottoratio sibi semper admirationi fuissent. Chalifae consilium vasiri placuit; itaque cum eo ad stagnum accessit. Cum ibi advenirent, viderunt ciconiam graviter ultro citroque gradientem, ranas quaerentem, interdum glottorantem.



Eodem tempore aliam ciconiam ex aëre summo in hanc regionem delabentem viderunt. “Polliceor me barbam meam derasurum esse, domine optime, nisi hi longipedes bene colloquantur.



Placetne tibi in ciconiam mutari?” “Bene dixisti”, chalifa respondit. Sed antea experiamur, quomodo rursus in...

(Altera pars sequetur!)

In Latinum convertit picturisque ornavit

Wilhelm Hundsrucker
Director studiorum superior emeritus
Saldenburgensis

VOCABULA DOMESTICA (IV)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörter-buch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebeamus partem earum alteram, quae spectant ad coquinam (VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA). Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM – IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA – X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA – XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE – XVI.ATHLETICA ET LUDICRA.

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas alteram partem coquinariam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA III = VII. DOMESTICA III**).

Nicolaus Groß
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

Giebelständer	gable stud	montant	montante	montante del timpano	statūmen tympanī
Doppelriegel	double plate	sablière double	solera doble	doppio corrente	subiex duplex [ENNIUS fr.scen.10]
Firstpfette	tie beam	faîtage	caballete	trave di colmo	fastīgium, -ī n. [cfr fr. faîtage]
Sparren	rafter	chevron	cabrio	falso puntone	canthērius, -ī m. [VITR.4,2,5]
Deckenbalken	ceiling joist	solive de plafond	vigueta del techo	travetto del soffitto	trabs laqueāria
Verkleidung	sheathing	revêtement	entablado	rivestimento	vestīmentum, -ī n.
Unterboden	subfloor	sous-plancher	contrapiso	sottofondo	*suppavīmentum, -ī n.; *suffundus, -ī m.
Strebe	strut	étrésillon	tornapunta	sbadacchio	tīgnum trānsversum
Erste Holzlage	sill plate	lisse d'assise	solera inferior	corrente di fondazione	subiex prīmus
Fundament	foundation	mur de fondation	muro de cimentación	muro di fondazione	fundāmentum, -ī n.
Fundamentstreifen	footing	semelle	zarpa	massetto	solea fundāmentī [cfr fr. semelle = solea]
Eckpfosten	corner stud	poteau cornier	montante esquinero	montante d'angolo	postis angulārius
Bodenbalken	floor joist	solive de plancher	vigueta del piso	travetto del solaio	trabs pavīmentī; trabs sōlāria
Stirnbalken	end joist	solive de rive	vigueta esquinera	travetto di testata	trabs frontālis
Kreuzaussteifung	bridging	croix de Saint-André	puntales de refuerzo	croce di sant'Andrea	crux Sānctī Andrēae
Strebe	brace	écharpe	tirante	controvento	tīgnum diagonāle
Lagerholz	ledger board	lambourde	travesaño	corrente orizzontale	subiex horizontālis
Träger	girder	poutre	viga maestra	trave	trabs, trabis f.
Pfosten	stud	poteau	pie derecho	montante	postis, -is m.
Brüstungsriegel	sill rail	appui de fenêtre	alféizar	traversa inferiore di finestra	trabs fenestra inferior
p.253 Dachbinder	roof truss	ferme de toit	armadura del techo	capriata	contīgnātiō, -ōnis f.
Stiel	side post	jambette	virotillo	monaco	postis laterālis

Hauptstiel	king post	poinçon	pendolón	monaco	postis prīncipālis
Obergurt	principal rafter	arbalétrier	par	puntone	canthērius prīncipālis
Strebe	strut	contre-fiche	puntal	contraffisso	tīgnum diagonāle
Untergurt	tie beam	entrait	tirante	catena	trabs tēctī īnferior
Fundament	foundations	fondations	cimientos	fondazioni	fundāmentum, -ī n.
Wandpfosten	wall stud	poteau mural	montante del muro	montante	postis mūrālis
Verkleidung	sheathing	revêtement	entablado	rivestimentum	vestīmentum, -ī n.
Sockelleiste	skirting board	plinthe	zócalo	battiscopa	plinthus, -ī m. [VITR.4,7,3]
Viertelstab	moulding	quart-de-rond	moldura	ovolo	echīnus, -ī m. [VITR.4,3,4; 4,7,3; Georg Heinrich Luenemann Lateinisch-Deutsches u Deutsch-Lateinisches Ha wörterbuch, nach Immanu Johann Gerhard Schelle Anlage neu bearbeit Zweiter oder deuts lateinischer Theil. verbesserte und vermeh Auflage. Leipzig 182 col.2039: Viertelstab, an d Säulen, echinus, -i m.]
Parkettboden	wood flooring	parquet	entaramado	parquet	+parcētum, -ī n.
Bodenbalken	floor joist	solive de plancher	vigueta del piso	travetto del solaio	trabs sōlāria
Stirnbalken	end joist	solive de rive	vigueta esquinera	travetto di testata	trabs frontālis
Erste Holzlage	sill plate	lisse d'assise	solera interior	corrente di fondazione	subiex prīmus
Fundamentstreifen	footing	semelle	zarpa	massetto	solea fundāmentī
Sickerrohr	drain tile	drain	tubo de drenaje	tubo del trenaggio	tubus siccārius [2.SERV.Verg.Aen.1,706 canistra siccaria]
Kies	gravel	gravier	grava	ghiaia	glārea, -ae f.; silex, -icis m.
Fundament	foundation	mur de fondation	cimentación	muro di fondazione	fundāmentum, -ī n.
Schwelle	sill	lisse	solera	corrente inferiore	līmen, -inis n.
Mauerwerk	brick wall	mur de briques	muro de ladrillos	muro in mattoni	mūrus latericius
Unterboden	subfloor	sous-plancher	contrapiso	sottofondo	*suppavīmentum -ī n.; *suffundus, -ī m.

Isolierung	insulating material	isolant	material aislante	materiale isolante	māteria īnsulātrīx
p.254 Parkettboden	wood flooring	parquet	pisos de madera	parquet	+parcētum, -ī n.
Parkettboden auf Zementestrich	wood flooring on cement screed	parquet sur chape de ciment	parqué sobre bade de cemento	parquet su sottofondo di cemento	+parcētum caementō superstrātum
Diele	flooring strip	lamelle	parqué	tavoletta	tabulāta, -ōrum n.pl.; coaxātiō, -ōnis f.
Isolierstoff	insulating material	isolant	material aislante	parquet struttura lignea	māteria īnsulātrīx
Zementestrich	cement screed	chape	base de cemento	sottofondo di cemento	*suffundus caementicius
Klebstoff	glue	colle	cola	collante	glūten, -inis n.
Parkettboden auf Holzunterbau	wood flooring on wooden base	parquet sur ossature de bois	entaramado sobre estructura de madera	parquet struttura lignea	*parcētum strūctūrae lignae impositum
Bodendiele	flooring strip	lame	entaramado	tavoletta	tabulāta, -ōrum n.pl.; coaxātiō, -ōnis f.
Unterboden	subfloor	sous-plancher	contrapiso	sottofondo	*suffundus, -ī m.
Deckenbalken	joist	solive	vigueta	travetto	trabs, trabis f.
Parkettmuster	wood flooring types	arrangements des parquets	tipos de parquet	tipi di parquet	typī +parcētōrum
Stabparkett im Schiffsbodenverband	woodstrip flooring	parquet à coupe perdue	parqué sobrepuesto	parquet listoni	+parcētum *baculātum
Stabparkett	brick-bond woodstrip flooring	parquet à coupe de pierre	parqué alternado a la inglesa	parquet listelli	+parcētum *bacellātum
Fischgrätparkett	herringbone parquet	parquet à bâtons rompus	parqué espinapez	parquet spina pesce	+parcētum spīnae piscāriae
Fischgrätmuster	herringbone pattern	parquet en chevrons	parqué en punta de Hungría	parquet spina pesce	+parcētum canthēriātum
Mosaikparkett	inlaid parquet	parquet mosaïque	parqué mosaico	parquet mosaico	+parcētum tessellātum
Würfelmuster parkett	basket weave pattern	parquet en vannerie	parqué de cestería	parquet tessitura vimini	+parcētum vīmineum
Arenberg-Parkett	Arenberg parquet	parquet d'Arenberg	parqué Arenberg	parquet Arenberg	+parcētum Ārenbergiānum
Chantilly-Parkett	Chantilly parquet	parquet Chantilly	parqué Chantilly	parquet Chantilly	+parcētum +Cantiliacānum

Versailles-Parkett	Versailles parquet	parquet Versailles	parqué Versailles	parquet Versailles	+parcētum +Versaliānum
textile Bodenbeläge	textile coverings floor	revêtements de sol textiles	revestimientos textiles del suelo	rivestimenti in tessuto per pavimento	vestīmenta pavīmentī textilia
Teppich	rug	tapis	alfombra	tappeto	tapēte, -is n.
Teppichboden	pile carpet	moquette	moqueta	moquette	*tapetoīdes, -is n.
Velours	pile	velours	pelo	velluto	+vellūtum, -ī n.
Unterlage	underlay	sous-couche	base impermeable	strato impermeabile	substrāmen, -inis n.
Klebeband	tackless strip	bande d'ancrage	cinta adhesiva	rete stabilizzante	taenia adhaesīva

PARK – PFERCH – PARKETT (Kluge e.al.)

<http://ducange.enc.sorbonne.fr/Redondellus>

REDONDELLUS, Ornamentum capitis mulieris orbiculatus, ni fallor, a Rotundus, Gallice *Rond*, sic appellatus. Litteræ patentes Caroli V. Regis Franc. ann. 1367. pro Monspelienibus :

In capite tamen (domicella) possit portare unum Redondellum vel **parcetum** cum perlis et margaretis.

Vide [Redundellus](#), [Rondellus](#) et [Rotundellus](#).

<http://www.vonhelmrch.de/foerste.htm>

Habeat suum quisque *parcetum*.

http://www.archive.org/stream/urkundenbuchfrd01lacogoog/urkundenbuchfrd01lacogoog_djvu.txt

ad vexationem per eorum nsurpatione« constet 54 monasteriani in loco qui dicitur *Parcetum* ciatati nostre

Aquisgram contermiBmn, abbatum et moBaehoram ...

**Haec vocabula domestica
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA (V)